

798

14

1677

Q. D. B. 17  
DISSERTATIONEM JURIDICAM  
AD

L. penult. 88 §. 17. Pand. de Legat. & fideic. II.

De

# CLAUSULA CO- DICILLARI

Consentiente Magnifico JCTORUM

Ordine

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO  
atq. CONSULTISSIMO

DN. GODOFREDO STRAUSSIO,

JURISCONSULTO & PROF. PUBL. CELEBERRIMO, CURIÆ  
ELECTORAL. SCABINATUS ET INCLYTE FACULT. JURIDICÆ  
ASSESSORÈ GRAVISSIMO, NEC NON SERENISS. PRINCH. VIDUÆ  
ANHALTINÆ CONSILIARIO SPLENDIDISSIMO, p. t. DE.  
CANO SPECTABILI.

DN. Patrono & Preceptore suo aeternum de venerando

defensor

CHRISTIANUS BECKEN /

Stolp.

IN AGRO-ATERIO JCTORUM

Ad D. X. Novembr. M DC LXXVII.



WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS WILCKII.

3/

32. 9.



VIRIS  
MAGNIFICIS NOBILISSIMIS AMPLISSIMISQUE

DNO. DNO.

MARTINO *Ischauen* /

Sereniff: Electoris Saxon: Consiliario

ac

Provincialium ubiq; Redituum, nec non Censuum Electoralium  
Præfecto supremo.

DNO. DNO.

SALOMONI FRIDERICO

*ENCKEN* /

Sereniff. Elect: Saxon: Consiliario & à Secretis rerum  
Forestalium.

DNO. DNO.

TOBIAE *BERBERG*.

Sereniff: Elect: Saxon: Consiliario nec non redituum &  
Camerae Curatori.

*PATRONIS suis suscipiendis*  
Disputationem hanc

dat, dicat, consecrat

AUTOR.



## JESU JUVVA!



Lausula codicillari plurimi utuntur, multi abutuntur: dum ejusdem vim ignorant, ipsamq; ex more saltem recepto testamentis annectunt. Quem enim latet, eandem saepius consuetudine magis Notariorum, quam certâ ratione jussive testatoris apponi solere? siquidem juxta Baldi (*qui Habnio ad Wesenb. tit. de Jure Codicill. n.3. citatur*) effectum, *Notarii sunt ut pica & psittacus, qui stant in palatio dominorum & loquuntur sine intellectu, quorum imperitia totum mundum destruit; ponit conscientias magnorum virorum in magno discrimine, dum suggerunt multas clausulas quas ipsi non intelligunt.* Confer. *Habn. ad Wesenbec. c. l. Carpzov. p.3. C.9. Def.6. num.3.4.* Non frustra igitur puto erimus, si clausula istius naturam juxta ductum *L. penult. §. 17. de Leg. 2.* breviter decurramus. Cui instituto ut Deus ex alto benedicat, supplices veneramur.

### VERBA TEXTUS.

**L. Lucius penult. §. Lucius 17. ff. de Leg. 2.**  
*Lucius Titius hoc meum testamentum scripsi sine ullo jurisperito, rationem animi mei potius*  
A 2 se

secutus quam nimiam & miseram diligentiam & si minus aliquid legitime minusve perire fecero pro jure legitimo haberi debet hominis sani voluntas. Deinde heredes instituit. Quæsitum est, intestati ejus bonorum possessione petita, an portiones adscriptæ ex causa fidei commissi peti possint? Respondi, secundum ea, quæ proponerentur, posse.

THES. J.

Titulus, sub quo lex nostra reperitur, de Legatis inscribitur, quorum tractatio, cum diffusior sit, quam ut uno libro tractari potuerit, Pandectarum compilatores tres eisdem libris destinare necessarium pariter ac utile duxerunt. Ac eorum quidem Oeconomiam hanc nonnulli esse statuunt, quod in primo seu trigesimo libro, præcipue de rebus quæ legari possunt vel non: in altero seu trigesimo primo de personis, quæ & quibus utiliter legent, in tertio denique, seu trigesimo secundo de verborum & rerum, quæ ad legata pertinent, significatione agatur. *Wesenbec. in Parat. de Legat. 2. n. 2.* Quæ distinctio à potiori desumpta tolerari tandem potest, quamvis eidem nigrum utroque fortè non respondeat. Neque enim altera, quam affert *Cujacius in Parat. eod. & comprobatur Hahn. ad Wesenbec. c. l.* certior accuratior ac omnibus partibus absoluta esse videbatur. *Conf. Colleg. Argent. tit. de Legat. & Fideicom. thes. 1.* Enimvero illorum titulorum digestionem ita esse comparatam ut sub generali distributione puncta sub illis contenta vix comprehendi queant, vel nostra edocet *L. penult. §. 17.* quippe qui textus de codicillari clausula tractat potissimum, & deinde virtute ejusdem portiones hereditarias à testatore adscriptas ab intestato etiam servari debere, subnectit. Nam & *Scævola* attribuitur hæc lex, quæ quidem in sua distinctione

inctione non memoravit Cujacius. Est vero hic Scavola, qui sub Marco Antiocho Philosopho floruit, Jctus eximius magriq; nominis, consiliis & scriptis insignem adeptus famam *Conf. Gerbard. Coccejus tit. de O. J. ad L. 2. §. 47. Wissenb. ad ff. tit. de jure Fidei. §. 10. Corasus ad L. 59 ff. de adopt. num. 4.* Ante hunc jamdudum & alii duo florere Jcti Scavolæ apud Romanos, de quibus videatur *Corasus ad L. 2. §. post hoc. Quinius Mutius de O. J. n. 2. seqq.*

Thef. II. Facit Jctus in nostro textu primum mentionem testamenti, quod sumitur vel in genere ac late qua ratione etiam codicillos in sese continet. *L. 1. §. 2. de tabul. exhibend. jung. princip. Instit. de test. ordin. vid. Gerbard. Exercit. Justin. Decad. 7. qu. 2.* quam acceptionem tamen valdè impropriam esse statuit *Colleg. Argent. ad tit. ff. qui test. fac. poss. ib. 2.* vel proprie & in sensu strictiori, & tum definiti potest, quod sit voluntatis nostræ justa sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit *L. 1. qui test. fac. poss.* Quam definitionem fusè explicat *Wissenb. ad ff. eod. ib. 2. seqq.* Interim in posteriori significatione in præsens accipi testamenti vocem indubium est. Et vero præclare eandem approbat Paulus de Castro, quando in comment. ad h. §. legis nost. ita perhibet: *Si testator dicat, quod vult testamentum suum valere jure testamenti, non obstante defectu solemnitatis, perinde est ac si dixisset, quod valeat jura codicillorum, si jure testamentorum valere non potest. Conf. Cyprianus Regn. ab Oosterga in Censuram Belgica ad b. §. nu. 8.* Alia hujus vocis homonymia Jctis ferè receptior est, quod nempe testamentum apponatur, vel pro ipso ultimæ voluntatis actu. *L. 1. qui test. fac. poss. vel pro tabulis, instrumento seu scriptura, quæ continet ultimam testatoris voluntatem uti contingit in tit. ff. test. quemad. aper. L. instrum. 16. princ. §. 1. ad L. Corn. de fals. §. 7. Instit. de publ. jud.* Cujus acceptionis usum eleganter sistit *Wissenbach. tit. ff. qui test. fac. poss. ib. 11.* his verbis: *Hæc vocis testamenti homonymia ex re subjecta, ex mente & sententia loquentis explicanda. In illis Italia locis, quibus testamenta sunt veltigalia, in singula testamenta veltigali imperato, testamentum non de scriptura, sed de ultima voluntate*

et contestatione accipiendum: Sed si statutum sit, ut rebelliones pro singulis testamentis, opera accipiant mercedem, de ipso instrumento, sive scriptura testamenti verbum intelligendum. Hæc ille. *conf. eund. ib. preced. Colleg. Argent. eod. ib. 2. in fine.* In præsens ipsam ultimam voluntatem arguit testamentum, adeoq; pro instrumento desuper confecto in textu non accipitur. Si quidem ipsa ejusdem verba recitantur: Lucius Titius hoc meum testamentum scripsi, h. e. sententiam voluntatis meæ in literas conieci &c. Quæ testamenti contenta, ab ipso instrumento tanquam continente eximè hæcenus differunt *arg. L. 7. §. 12. de Pact. l. 1. §. 2. de edend. l. 14. princ. C. de non num. pec.*

Thef. III. Porro in textu mentio Jurisperiti injicitur, quod quidem nomen successu temporis ferè ad pragmaticos relatum est, qui formularii & legulej, eò quòd in formulis negotiosi & quasi mercenarij essent, vocabantur; ab initio vero idem antecessoribus, qui jus publicè profitebantur & studiosis juris seu candidatis competiit, qui plerumq; assessores erant iudices & legatorum comites. *L. 1. ff. l. 1. Cod. de Ass. ff. l. 2. quod quisq; jur. l. 31. ex quibus caus. infam.* vel etiam libris seu orationibus principalibus legendis in Senatu vacabant. *L. unie. §. 2. de Offic. quest.* vel scribendis aut dictandis testamentis adhibebantur, & ita capitur etiam h. §. n. 5. A munere Jurisperiti, uti in sensu priori capitur, differunt partes Jcti quæ in eo principaliter consistunt, ut jus per expositionem æqui boniq; in melius producant. Unde quidem etiam juris conditores nuncupantur *l. ult. §. 1. Cod. de LL. l. 22. C. de procur. l. si furios 25. C. de nup. conf. Franzk. ad ff. tit. de O. 7. n. 46. seqq. Wissenb. tit. ff. de jure fsc. ch. 6.* Quam appellationem Cicero *l. 1. de Orat: de Crasso* loquens, firmat: *Atq; illum, cum disserendo par esse non posse ad autores confugisse quodq; ipse diceret, & in P. Muræii fratris sui libris & Sexti Aelii commentariis scriptum, protulisse. Conf. Eckole. tit. ff. de O. 7. §. 4.*

Thef. IV. Dum pergit Jctus deinceps in textu: *Et si minus aliquid legitime minusve perire fecero, pro jure legitimo haberi debet hominis sani voluntas*, occasionem nobis suppeditat præfandi nonnulla de codicillari clausula. Clausula in præsens



Sens nihil aliud nobis est, quam certorum verborum aut phra-  
sium conceptio, quæ provida hominis mens dilucidius ac effi-  
caciùs explanatur, vel est, ejusmodi oratio, quæ per certa usi-  
rataq; verba, & dictiones sive æquipollentia sive subintellecta  
instrumento, contractui, testamento, libello, rescripto, &c.  
inseritur. *Georg. Barsbamp. in Rad. clausul. cap. 1. n. 5. e. g.* in  
libello talis clausula frequentatur: super quibus omnibus dictis  
& dicendis peto mihi justitiam administrari *Conf. Joann. à  
Sando l. 3. tit. 4. Def. 12.* In rescriptis si preces veritate nitantur  
item motu proprio, de quæ ultima clausula vid. *Magnif.  
Dn. Ordinar. Ziglerum ad Lancell. lib. 1. tit. 27. §. 18.* Divisiones  
clausularum sunt quæ plurimæ. Nobis in præsens inservit illa,  
quæ clausulæ dividuntur in communes & speciales: Illæ no-  
minantur, quæ pluribus adhibere solent negotiis, quales sunt  
clausula doli, rebus sic stantibus, salvo jure tertii &c. hæ sin-  
gularum negotiorum propriæ ac quasi domesticæ sunt, indeq;  
per plus operantur quæ generales, *Barsbamp. c. l. cap.  
27. n. 71.* quales sunt in testamentis si sine liberis decesserit, item  
si heres non erit, & huc etiam recte refertur codicillaris clau-  
sula, quæ in testamenti scriptura subjungi consuevit, ut si illud  
non testamenti, tamen codicillorum vim & auctoritatem ob-  
tineat. Unde describi potest codicillaris clausula, quod sit,  
per quæ ultima voluntas, quæ ob aliquem defectum in iis,  
quæ ad formam testamenti pertinent non potest subsistere ut  
testamentum, valeat ut codicilli ab intestato vel tanquam fidei  
commissum: ita scil. ut heres rogatus, censeatur hereditatem  
restituere heredi in ista ultima voluntate nominato vel etiam  
rem particularem præstare iis, quibus relicta est hac *l. penult.  
§. 17. de legat. 2. Dn. Struv. Syn. Jur. Civil. Exer. 34. ib. 61.*

Thef. V. Formulæ ejus potissimum sunt geminæ: prima  
est: si ultima voluntas jure testamenti non valeat, eadem sub-  
sistat jure codicillari *L. 3. ibi velle etiam hoc valere vice codicil-  
lorum ff. de testam. milit. L. ult. §. illud ibi. ut vim etiam codi-  
cillorum scriptura debeat obtinere C. de codicill. L. si juro 11. ibi:  
ut pro codicillis scriptum valeret C. de testam. manum. L. Cobe-  
redi 41. §. 3. de Vulg. & pupill. substit. Conf. Carpzov. p. 2. Decif.  
2 n. 155.*

25. n. 2. Alterz est omni meliori modo seu volo testamentum  
meum valere & ratum esse, quacunq; ratione poterit L. 29. §.  
1. Qui testam. fac. possi. etiam ex causa fideicommissi ab inte-  
stato. Huc ergo & quæ in nostro textu cernitur clausula codi-  
cillaris pertinet; Conf. Brunne mann. ad L. test. n. 15. quippe  
quæ etiam vult, ut qualibet ratione ultima voluntas valeat.  
Interim quamvis hæ clausula quoad conceptionem verborum  
ita diversa reperiantur; reuera tamen distinctæ non sunt, sed  
unius vis atq; effectus. Unde etiam utraq; clausula sæpius con-  
jungi solet. Id quod etiam Germanica formula consveta com-  
probat, quæ talis ferè esse solet: Doferne dieses mein Testa-  
ment/ Verordnung und letzter Wille einziger Ursachen und Mäu-  
gel halber von Rechtswegen nicht als ein zierlich Testament be-  
stehen solte / So sol es doch als ein Codicill. oder anderer letz-  
ter Wille nach dem aller besten / als es von Gewohnheit und  
Rechtswegen am meisten Krafft haben kan und mag aufgenom-  
men verstanden und unverbrüchlich gehalten werden. Nicol.  
Reufner Tract. de Codicill. cap. 23. n. 3. seqq. Carpzov. p. 2. Decif.  
155. n. 5. Habn. ad ff. de jun. codicill. n. 5. Eckholt ad ff. eod. § 12.  
Dn. Struv. cit. Exerc. 34. th. 63. ubi nihil interesse, utrum con-  
cepta sit clausula codicillaris per verba presentis temporis v.  
g. si non valet jure testamenti, valeat jure codicillorum: Sive  
per verba futuri temporis, si non valebit jure testamenti, vale-  
bit jure codicillorum, recte adjicit.

Thes. VI. Illud vero maxime per notandum est, virtu-  
te hujus clausula codicillaris sustineri modo testamentum,  
quod est invalidum ratione solennitatis L. 29. qui testam. fac.  
possi. L. ult. §. 1. C. de Jure Codicill. non æquè quod invalidum  
est ratione voluntatis testatoris, exheredationis & præteritio-  
nis liberorum L. 25. qui testam. facer. possi. L. 3. de testam. mili-  
tan. L. 41. §. quod si heredem. de vulg. & pupill. subst. arg. L. 1.  
de Legat. 3. L. 4. C. de liber. præter. Conf. Wiffenbach. tit. ff. de  
jun. codicill. th. 20. Quamvis enim nonnulli hic distingvant  
inter sententiam theoreticam: & usum fori, ac respectu isti-  
us hætenus dicta verissima ducant, quoad hunc vero clausu-  
lam istam quoad institutionis vicium operari indeq; ejusmo-  
di testa-

di testamentum sustineri existiment *Conf. eundem Wffenb. Dissur. 28. ad Inst. th. 21.* tamen istud discrimen ad palatum nostrum non est. Ut enim taceam jus nostrum civile hac parte esse satis clarum & id tamdiu stare, donec contrarium & quod in uno vel altero articulo usu inumbratum, diserte sit probatum; non video rationem ob quam in pronunciando abinde sit recedendum. Et equidem confunduntur ita plane testamentorum & codicillorum jura, si omnem omnino defectum supplere, illa clausula potis esset. Accedit, quod multi ex DD. modernis qui tamen juri theoretico praxin adjungere solent, hac parte differentiam agnoscant nullam. Ita *Dott. Strauch. Dissert. Inst. 10. th. 25.* diserte tradit, quod clausula codicillaris testamento apposita defectum solennitatis suppleat *L. fin. C. de Codicill. u. de man. vindicta.* Vitium autem in institutione commissum sanare non possit. Stat etiam a nostra sententia *Hilliger in Don. Enucl. Lib. 7. cap. 19. in Not. Lit. E. Anron. Faber. 9. de Error. Pragm. 8. & 10. Consentit Georg. Schultze in Synops. ad instit. tit. de Codicill. Lit. A.* quando perhibet. Nam *Et tunc* (quando scilicet adjecta est clausula codicillaris) *quamvis non sint adhibiti septem testes, vel non sint rogati, nihilominus proximi heredes ab intestato, vi ac virtute istius clausule codicillaris non solum legata hoc casu prestare; sed etiam jure fidecommis si hereditatem his, qui scripti sunt in testamento minus solenni heredes, deducta tamen quarta Trebellanica, hereditatem restituere tenentur &c.* Id quod argumento inservit ad solennitatis defectum supplendum saltem operari istam clausulam. Et quod multis ipse Practicorum nostrae aetatis Coryphaeus *Carpzov. p. 3. c. 9. D. 12. diserte tradit:* Non efficere clausulam codicillarem, ut subsistat testamentum in quo liberi sunt praeteriti. Id quod iterum ad indicium est solennitatis saltem defectum demere clausulam istam. Siquidem idem *Carpzov. hoc expresse alibi tradit p. 3. C. 1. D. 42. n. 7. & C. 4. D. 39. & Lib. 6. Resp. 113. n. 5. & part. 2. Decis. 155. n. 15. seqq. Conf. Brunnem. ad L. 7. C. de Codicill. n. 3. seq.*

Thef. VII. Bonorum possessio, quae porro succedit in textu, est jus persequendi retinendiq; patrimonii, quod cujusq;

B

cum

cōm moreretur, fuit *L. 3. §. 2. de Bon. poss.* Quamvis vero nonnulli nodum in serpo quarentes discrimen moliantur inter bonorum possessionem, & possessionem bonorum, tamen illud ex legitima fundamentis deducere nequeunt: neq; enim illa verborum trajectio rerum significationem mutat *Boribolt. ad princ. Inst. de bon. poss. n. 4.* Et utrumq; bonorum appellatio, sicut hereditatis, universitatem quandam ac jus successionis universum denotat *L. 119. L. 208. de V. S. L. 61. de acquir. hered. L. 4. §. 1. de Offic. ejus cui mand. est jurisd. L. 1. C. de hered. vel act. vend.* Nam & jure Pratorio æquè late bonorum possessio patet, ac quidem civili hereditatis petitio, ut vi ipsa nihil inter utramq; interit *L. 3. pr. §. 1. L. 1. §. 2. de bonor. poss. L. 117. de R. 7.* quamvis in tempore & modo acquirendi diversitatem ad esse, omnino demus *Conf. Vinn. in comment. ad Rubr. Inst. de bonor. poss.* quas differentias late persequitur *Eckoltus ad ff. eod. §. 3.* Ideo vero bonorum possessio introducta est, ut successionem nascisci possent illi, qui alias jure civili inhabiles erant h. e. ad hereditatem non vocabantur, Ceteroquin ubicunq; lex vel senatus vel constitutio capere hereditatem prohibet & bonorum possessio cessat *L. 12. §. 1. eod. 1.* Prætor enim jus civile subsequitur *L. 14. de Testam. Conf. omnino Wissenb. ad tit. ff. de bonor. possess. tb. 9.* Successu vero temporis omnibus omninò heredibus, tam institutis, quam exhereditatis, tam ex testamento quam ab intestato venientibus, præsentibus & absentibus, dummodo si absentium nomine petant, Prætor hoc non ignoret, & ratihabitio accedat bonorum possessio indulgetur *L. 7. pr. L. 3. §. 7. eod. L. 1. qui admitt. ad bon. poss. Eckolt. ad dict. tit. §. 10. Dn. Serw. Exercit. 37. ad ff. tb. 6. Wissenb. in Parat. ad ff. de bonor. possess. contra tabul. n. 2. ibidemq; Habn in notis:*

**Thes. VIII.** Cum porro quisnam intestatus in jure nostro dicatur *ex princ. Inst. de Hered. qui ab intest. deser.* abunde appareat, nolo in istius vocis explicationem digredi, quin potius fideicommissi causam paucis perlustrare præstabit. Fideicommissum vero dupliciter potissimum capitur, primò quidem pro ipso objecto sive re per fideicommissum relicta *§. 4. de fideic. hered. vel pro ipso actu seu dispositione fideicommissaria §. 1. Inst. eod.*

Qvo

Quo sensu describi potest, quod sit ultima voluntas, qua per interpositam personam verbis precariis aliquid relinquitur. Verba autem precaria, discite ex §. fin. 7. de singul. reb. per fideic. relic. jung. L. 118. de Legat. 1. Srauch. Dissert. 10. th 20. Dividitur in universale, quo tota hereditas vel pars ejus. & particulare, quo singulae res verbis precariis relinquuntur. §. 2. & 10. Inst. de fideic. be. red. Rubr. Inst. de singul. reb. per fideic. relic. In praesens fideicommissum non objective sumitur; sed potius quaestio est, utrum id quod in testamento tali relictum est vi dispositionis fideicommissariae peti queat? Et quoniam portiones in textu memorantur non errabimus, si ad hereditarias easdem interpretemur. Quamvis enim Jctus non addiderit in textu denominationem istam; tamen portio generalis vox est & hereditatis quoque partem in se se comprehendit uti videre est in L. Marcellus 3. §. 4. ad SCrum Trebell. Et vero cum verba semper secundum subarratam materiam intelligenda veniant, hic non possunt non hereditariae portiones intelligi, siquidem Jctus modo praemisit in textu testatorem heredes instituisse: Dum ergo deinceps portiones iis nempe adscriptas memorat, non alia quam hereditariae exaudiri poterunt quoniam alias subjectum mutaretur. Quorsum etiam inclinant Glossa & Paul. de Castro ad b. l.

Thef. IX. Textus nostri divisio abs se satis patet, siquidem in eodem primum ad manum se dat casus, quem Jctus ab initio §. statim ingreditur. Lucius Titius hoc meum testamentum scripsi sine ullo jurisperito, &c. enarrato casu deinde subsequitur quaestio ibi: *Quaestum est intestati ejus honorum possessione petita* &c. Et tertio denique subditur decisio ibi: *Respondi secundum ea quae proponerentur, posse*. Ut hinc sint tres partes. textus nostri, causalio, quaestio, & ejusdem resolutio: quarum prima non incommode iterum in tres distribui potest partes. Prima exhibet praefationem omissa exactae diligentiae, aliis in testamentis condendis a veteribus adhiberi solita, quippe qui non facile sine jurisperito condere testamentum sustinere: Altera complectitur clausulae codicillaris oppositionem, ibi: *Et si minus aliquid legitime minusve perire fecero, pro jure legitimo haberi debet hominis sani voluntas*. Tertia denique suggerit heredum institutionem, ibi: *deinde heredes instituit*.

Th X.

Thes. X. Summam §. nostri ex Bartolo hanc suppeditat  
Glossa §. h. l. Verba, quod valeat omnimodo, quo melius de jure  
potest, intelligi etiam ab intestato, quæ clarius ita afferri potest:  
clausula codicillaris, volo hoc testamentum pro legitimo haberi  
seu valere in omni jure, operatur etiam ex causa fideicommissi ab  
intestato. *Conf. Nicol. Reusner. Tract. de Codicill. cap. 23. n. 4.* Quam  
interpretandi rationem comprobat *Paulus in L. 29. §. 1. qui testam.*  
*fac. poss.* cujus verba hæc sunt: *Hoc testamentum volo esse ratum*  
*quacumq; ratione poterit; videri eum voluisse omnimodo valere ea*  
*quæ reliquit etiam si intestatus decessisset.* Vel etiam summa §. nost.  
hæc statui poterit: Si clausula codicillari in testamento usus  
fuerit testator, portiones heredibus in eo assignatæ etiam ex cau-  
sa fideicommissi peti possunt, quamvis ab intestato defuncto sue-  
cedatur.

Th. XI. Casus vero hic est talis: Lucius Titius condidit  
testamentum, & in eodem solennitates quasdam omisurus sta-  
bilendo testamento ita fuit præfatus: Lucius Titius hoc meum  
testamentum scripsi sine ullo Jurisperito, rationem animi mei  
potius secutus, quam nimiam & miseram diligentiam. postea ad-  
didit clausulam codicillarem & ita perrexit: Et si minus aliquid  
legitimè minusve perire fecero, pro jure legitimo haberi mea  
hominis sani voluntas, debet: Deinde Cajum ex semisse, Sempronium  
ex quadrante, Mevium itidem ex quadrante, alias quoque  
sibi successuros, heredes instituit: moritur testamento isto con-  
dito Titius, tum verò heredes quoniam deprehendunt testamen-  
tum Titii juxta solennitates juriscivilis haud subsistere, adeunt  
Prætorum & petunt bonorum possessionem Titii, tanquam in-  
testati mortui, sibi decerni: Sed quoniam in testamento inæqua-  
les portiones habent, Cajus ex Semisse heres scriptus contendit  
portionem istam sibi assignandam, Sempronius vero & Mevius  
innituntur causa intestati, adeoque cum æquales gradu sint, æqua-  
liter fieri debere successionem propugnant, quærebat ergo,  
Utrum illius, an horum intentio prævalere debeat? Seu utrum  
portio illa inæqualis jure peti & obtineri possit? Et respondet  
Scaevola juxta præsentem statum, juxta hanc facti narrationem  
posse h. e. portiones istas in testamento à Titio adscriptas etiam  
in di-

in divisione hereditatis ab intestato omnino attendendas esse. Idq; propter præmissam codicillarem clausulam, cuius vis est, ut per illam heres ab intestato de restituenda v. c. hereditate rogatus intelligatur *L. 29. §. 1. C. de testam. L. ult. §. 1. C. de Codic. Bachov. ad Tr. vol. 2. D. 10. tb. 7. Lit. a. in fin.* uti inferius pluribus accipiemus.

Th. XII. Casus figurationem excipit textus lectio, ubi quidem in præsens nulla variatio se dat ad manum. Unde nec *Gloss nec Paul. de Castro nec Gotbofredus nec noviter Brunnemann aut Sixtinus Regnerus ab Oosterga*, qui tangunt eundem, corrigunt ipsum vel variam lectionem attendunt. Interim quando paulo intentius percurramus §. nostrum, scrupulum quendam ista verba injicere videbantur: *Rationem animi mei potius securus, quam nimiam & miseram diligentiam.* Quæ penitius insipienti facile in mentem venire poterat quod in *L. pen. ad Exhibend.* subtilissimus Paulus tradit, non oportere jus civile calumniari. Et sicut turpe patricio esse censetur jus in quo versatur ignorare *L. 2. §. Servitus 43. de O. J.* ita crassa ejusmodi ignorantia excusationem præbere non videbatur *L. 2. de Jur. & fact. ignor.* Absona ergo ista verba indeq; vel eximenda textui vel corrigenda tamen aut mitiganda videbantur. At enim verò cuilibet hic mutationi constans omnium exemplarium lectio Autorumq; juris approbatio oppido reclamant. Nec quicquam absurditatis ista formula accuratius excussa post se trahit. Nimirum solennia jure civili præscripta strictè & amussim observanda sunt, adeò, ut si omissa fuerint, ea quæ gesta sunt nullius habeantur momenti *L. est nihil. 183. de R. J. ibiq; Ludwell in Comm. n. 1.* seu totus actus corruat *arg. L. 1. de injust. rupt. & irrit. fact. test. Sebast. Vant. Tr. de Nullitat. Proceß. Rubr. de Nullit. ex Defect. Process. n. 72.* Nam & si in testamentis condendis solennitates ex præscripto legum adhibendæ omittantur, testamentum injustum seu ab initio nullum est *L. 1. de injust. rupt. & irrit. fact. testam. Eckolt. cod. §. 2. Vinn. ad Rubr. J. quib. mod. test. infirm.* Solennitates verò istæ quæ necessario ad testamentum jure civili adhibendæ non erant vulgares & proletariæ; sed exquisitæ & magna sollicitudine conjunctæ. Ut enim reliqua taceam, testamentum condi debet coram septem testibus

B 3

iisdemq;

iisdemq; habilibus h.e. nec ratione personæ nec causæ in idoneis  
specialiter ad actum testandi rogatis *L. 21. §. 2. qui testam. fac. poss.*  
& presentibus toti actui nec non audientibus ac videntibus te-  
statores *L. 9. C. eod. L. 20. §. 9. C. d. t.* Præterea necesse est, ut idem  
testandi actus non interrumpatur; sed unico expediatur contex-  
tu, nullo alio negotio utpote contractu interveniente *L. 11 §. ult.*  
*qui. test. facer. poss.* nisi forte actus iste ad naturæ necessitatem  
pertineat ut victus necessarii aut potionis oblatio *L. 28. C. eod.*  
Præter hæc, si in scriptis quis testamentum conficere velit, ipse  
una cum testibus propria manu subscribere debet *L. 30 ff. qui. test.*  
*fac. poss. L. 21. C. eod.* aut si ipse testator scribere nequeat octavi  
testis in ejus locum adnotatio requiritur *dicit. l. 21. tandem & si-*  
*gnacula à testibus superaddenda sunt §. 5. §. 7. de testam. conf. Lud-*  
*well, ad §. 3. §. 7. de testam. Dn. Struv Exercit. 32. ad ff. ib. 10. Wissenb.*  
*ad tit. ff. qui testam. fac. poss. ib. 22. seqq.*

Thef. XIII. Dum ergo secundum multas regulas juris  
civilis testamentum condi debet *L. 4. qui testam. fac. poss.* ejusmo-  
di plurium solennitatum observationem mirabundus quasi ni-  
miam ac ob pluralitatem difficilem fere diligentiam testator  
Lucius Titius nuncupat: sed & miseram vocat eandem ideo,  
quoniam una vel altera solennitate intermissa pro infecto &  
nullo testamentum pronunciat *L. 21. pr. & §. 1. C. de Testam.* &  
ita miserè comparatum est cum eo, cujus testamentum exitum  
habere nequit. Sed inquis cur ergo jus civile tam anxius emo-  
litur solennitates & condendi testamenti postulata, cum tamen  
simpliciori via idem obtineri possit? respondeo. Romanos viros  
graves & disciplinæ studiosissimos adeo ordini inhæsisse præpri-  
mis in rebus magni momenti, ut ad difficiles fere observationes  
fuerint non semel abrepti. Quam in rem multa in jure nostro  
se dant ad manum exempla. Ita legis actiones certa juris solen-  
nitate certisq; formulis peragebantur, testante Pomponio in *l. 2.*  
*§. 6. de O. J.* his verbis: *Deinde ex his legibus eodem tempore ferè*  
*actiones composita sunt, quibus inter se homines duceptarent, quas*  
*actiones ne populus prout vellet institueret, certas solennesq; esse*  
*voluerunt &c.* Cujus rei haud obscuram reddit rationem Ci-  
cero *lib. ad Orat. quando, veteres, ait, illi qui huic scientia præ-*  
*fuerunt*



fuerunt obtinenda utq; augenda potentia sua causa per vulgari an-  
tem suam valebant. Qui ergo olim iudicio jus suum persequi  
volebat, ex praescripta formula secundum legem in iure experiri  
tensebatur *Gerhardi Coccej. ad cit. L. 2. §. 6. de O. J.* A qua solenni  
agendi formulâ quid contraxerit vel syllabâ causâ cadebat *L. 1. C. de  
form. & imper. alt. subl. ibidemq; Wissembach in Comment. & Pe-  
rez. ibid. n. 1. Brunnem. A. L. n. 2. d. Guilielmus Budaeus ad Pandectas  
pag. m. 42. lit. D. ubi causa cadere & formula cadere. tanquam  
phrases a quibus pollentes adducit. Et hoc intuitu idem Tullius lib. 1.  
de Orat. hac habet: Juris consultum ipse per se nihil nisi legulejus  
quidam caurus & acutus, praeo abilianum, cantor formularum, au-  
cepit Syllabarum. Unde factum, quod jam ante Justinianum,  
Constantinus Jurisprudentiam istam formularem cum ambagi-  
bus aucupii & ineptiis pene suis facere iusserit. *L. 1. §. 2. C. de  
form. & imperat. subl. Coccejus ad cit. L. 2. §. 7. de O. J. Perez. ad cit.  
in C. n. 2.**

Thes. XIV. Et quid de manumissionum solenni ritu di-  
cemus, uti dominus plerumq; manumittendi servi caput vel  
aliud membrum tenens eundem circum ductum solennibus ver-  
bis pronuntiatis e manu mittebat, eidemq; pileum imponebat,  
qui deinceps assumpta alba veste nomen patroni induebat. *conf.  
Borckhole ad pr. J. de Libert. Quid de emancipationis antiqua  
observatione, quae per imaginarias venditiones & intercedentes  
deinde manumissiones celebrabatur. vid. §. 6. J. Quib. mod. Patr.  
potest. solvit. ibiq; Rittersb. Backov & Winn. Quae res itidem certas  
verborum formulas exposcebat juxta Philipp. Matth. ad L. 77. de  
R. J. n. 11. Taceo acceptilationem de qua §. 13. Quib. mod. tollit. obl.  
taceo adoptionem de qua vid. L. 4. de Adopt. §. 1. J. eod. sed & reli-  
quos actus legitimos lubens praetereo de quibus videri potest L.  
77. de R. J. ibiq; Phil. Matth. Wissemb. Sande, Ludwiel. Gotbofredi &  
Bronchorst. Potius id repeto, ingentem etiam circa testamenta  
condenda ac superstitionosam prope solennitatem & jure antiquo  
& noviori fuisse vid. Sassegg. de test. ord. Id etenim illic testamen-  
ta in calatis comitiis ac in procinctu, nec non deinceps per aes &  
libram condi solita: hic unus contextus, certus numerus testium  
aliiq; ritus non temere negligendi abunde loquuntur. Quorum  
quidem*

quidem solennium rationem indagare nimis curiositas esse,  
non male censet *Vinnius ad §. 2. f. de Testam. ord. n. 2.* In genere  
vero sustineri eadem possunt, quod Romani omnia ordine de-  
centerq; fieri voluerint; nec amoliri à se potuerint cives ejusmo-  
di observationes curatiores, lege quippe publica promulgatas,  
cujus ignorantiam cuiq; nocere in proclivi est. *L. 9. pr. de jur. &*  
*fact. ignorant.* Nam & vigilantibus jura scripta sunt *L. pen. Quæ*  
*in fraud. credid. &* qui neglectui habet legum præscripta discat  
cum damno suo cautius mercari *L. 2. C. de furt.* Ita scilicet officitan-  
tia ac negligentia ad frugem reducitur, dum damnum quod quis  
culpa sua sentit, ipsum non sentire intelligi, diserte traditur *L.*  
*203. de R. J.*

Thef. XV. Aggredimur jam ipsas, nostri rationes quæ  
cum vel dubitandi vel decidendi sint, illæ prius absolvendæ e-  
runt. Potest vero ratio dubitandi commodè ex eo desumi, quod  
major sit cura habenda legis publicæ, quam dispositionis privatæ,  
nec quicquam possit facere, quo minus leges in sui testamento  
locum habeat *L. 55. §. 1. de Leg. 1. L. 35. §. Scimus C. de Inoff. test. L. si*  
*quis inquilinas 112 §. 3. eod. Conf. Finkelthuis, observ. Pract. 109. n. 6,*  
*Nicol. Reusner, Tract. de Testam. p. 2. c. 1. n. 2.* Apte *Quintilianus: Po-*  
*tentius est quod in albo Pretoris lego, quam quod in testamento.*  
Accedit quod testamenti factio sit juris publici *L. 3. Qui testa-*  
*fac. poss.* Jam publicum jus privatorum pactis immutari nequit  
*L. 28. ff. de Pact.* quin potius hæc si contra leges constitutionesq;  
vel contra bonos mores fiunt nullam vim habere indubitati  
juris est *L. 6. C. eod.* Perinde igitur testamentum non jure factum  
& ubi solennia desunt ipso jure nullum est *L. 1. de injust. rupt. &*  
*irrit.* Cadit enim quicquid contra legum sit voluntatem arg *L.*  
*J. C. de LL. L. 7. §. 16. ff. de Pact.* Merentur quæ huc transcribantur  
verba *Habnii ad Wesenb. tit. de injust. rupt. & irrit. fact. test. n. 2. &*  
*hæc sunt.* *Alius in genere dicitur, non jure factum testamentum*  
*quod ipso jure & ab initio statim nullum est. Hoc autem fit (1) ob*  
*defectum causa efficientis, puta, si persona non habeat jus disponendi*  
*(2) ob defectum causa formalis h. e. solennitatum harumq; vel*  
*communium, (ut si in testamento solenni non adfuerunt 7 testes, non*  
*subscripserunt vel inhabiles sunt &c.) vel priviarum ut si testa-*  
*menta*

menta minus solennia non habuerunt sua requisita. Hæc casibus  
contra ejusmodi testamenta datur remedium seu actio nullitatis,  
quæ id dicitur non jure factum id eorū petitur nullum declarari.  
Testamentum etenim debet esse juxta h. e. legitima seu secundum  
leges & regulas testamentorum facta sententia L. 1. Qui testam.  
fac. poss. adeoq; solennitates præscriptæ sedulo attendendæ nec  
unquam destitui poterunt.

Thes. XVI. Alteram dubitandi rationem iterum textus  
haud obscure suppeditat in verbis: *quæsitum est intestati ejus bo-  
norum possessione petita*. Nimirum quoniam Lucii Titii defuncti  
bonorum possessio ab intestato petebatur dispositio testamen-  
taria plane cessare videbatur; quoniam nemo pro parte testatus  
& pro parte intestatus decedere potest §. 7. de hered. instit. L. 19.  
§. 2. de Cast. pec. Jus namq; nostrum non patitur eundem in pa-  
ganis & testato & intestato decessisse, earumq; rerum naturaliter  
inter se pugna est testatus & intestatus L. 7. de R. J. i. e. principia  
& regula juris civilis haud patiuntur ut ex ipsis civibus qui non  
militant indeq; nec privilegia testamenti militaris habent ali-  
quis simul possit de parte bonorum condito testamento, quo ad  
reliquam vero partem intestatus seu sine testamento decessisse.  
Quandoquidem si indolem juris civilis hac parte spectemus, ista  
duo juxta naturam suam pugnant invicem & pro contrariis ha-  
bentur. Conf. L. 24. de Stat. hom. Wissenb. ad cit. L. 7. n. 3. Magnif.  
Dn. Zigler ad Grot. Lib. 2. c. 12. §. 20. Guilielmus Grotius de Princip.  
Jur. natur. cap. 2 §. 1. Bene Vinçius ad §. cit. §. J. n. 4. Venum ut hic  
quodq; pugna sit efficit subtilitas juris civilis per quam heres singi-  
tur representare & sustinere personam defuncti. Quæ representatio  
uti est totius personæ, ita & totalis; atq; ut est unius ita et unifor-  
mis esse debet: h. e. ut defunctus pro parte representari non debet, ita  
nec debet per heredes diversæ generis, partim ex testamento, partim  
ab intestato, sed quisquis heres est, debet in totum subire locum &  
vicem demortui eumq; representare uno ac simplici successione gene-  
re vel in totum ex testamento, vel in totum ab intestato. Proinde  
quoniam ista pugna acerrima est, & tamen bonorum possessio ab  
intestato petita in textu traditur, testamentaria successio plane  
exulare ac quicquid testator dis. posuerit insuper haberi debebat.

C

Id

Id quod accuratè expressit Cicero Lib. 2. de Invent. quando unius, inquit, pecunia plures dissimilibus de causis heredes esse non possit nec unquam factum esse, ut ejusdem pecunia alius testamento, alius lege heres esset.

Thes. XVII. At enim vero maximum decidendi momentum in clausulæ codicillaris hic adjunctæ virtute, indeq; surgente fideicommissio collocanda erit. Per clausulam enim codicillarem ultima voluntas sustinetur, si solennia testamenti haud fuerit observata, utpote testes non rogati, vel tantum quinque adhibiti, arg. L. 14. L. 29. C. de fideicommissis. siquidem si in ultima voluntate observata quidem sunt quæ ad codicillos sufficiunt, sed in iis quæ ad testamenti formam requiruntur aliquid deficit, oppido codicillaris istius clausulæ effectus sese exerit. arg. L. 29. §. 1. *Qui testam. fac. poss. Conf. Struv. Exerc. 34. ad ff. de test. tit. de jur. codicill. n. 8.* Non possum mihi temperare quin quæ accurate hanc in rem consignavit Nicolaus Reufner de Jur. codicill. cap. 23. n. 10. adscribam verba: *Ceterum clausula codicillaris vis & potestas hæc est, ut per eam suscipiatur testamentum, si minus fortassis solenne aut perfectum sit: quippe quod se tuctur lege codicillorum, in quorum vim testamenti vis tota convertitur, ut & fideicommissa & verba ejus directa ad fideicommissum trahantur, quo & relicta in eo debeantur & ab intestato valeat quovis, & conservetur testatoris voluntas. L. 29. §. ult. Qui test. fac. poss. L. ex facto 31. §. 1. de vulg. & pupill. subst. L. generaliter 24. L. ex testamento 23. de fideicommissis. libert. L. ult. §. illud vero C. de Codicill.* Hactenus Reufnerus, In summa, clausula codicillaris idem operatur, ac si testator venientes ab intestato rogasset ut hereditatè scriptis heredibus restituerent. L. ult. §. illud 1. C. de Codicill. d. L. 29. §. 1. Id quod vel maxime in presenti nostro casu locum habet, ubi ex ipsis verbis & deprecatione ista diferta miseræ & accuratoris diligentia abunde constat, defunctum codicillos non vero testamentum solenne condere voluisse. Tum enim haud absurde statuemus, institutionem verbis directis factam, non tanquam institutionem, sed tanquam fideicommissum valere arg. l. 1. l. 13. §. 1. L. cum quis 37. §. Sejam de Legat. 3. L. ult. §. 1. C. de codicill. l. 76. ad SC. Trebell. Eckolt tit. ff. de Jur.

*Jur. Codicill. §. 13. Wissenbach eod. tit. 19. Ludwell. ad pr. §. d. t. n. 1. & ad §. 2. ibid.*

Thef. XVIII. Proinde res omnis ita habet. Aut constat certò aliquem omnino voluisse testamentum condere solenne, & tunc nihil valet, nisi omnibus id numeris sit absolutum, adeo ut etiam ex iis quæ fideicommissorum verba habent, nihil peti possit & ipsa quoque heredis institutio non nisi ut directa subsistat. *L. 1. L. 29. ff. de Testam. L. ult. §. 2. C. de Codicill.* & eo spectant quæ in rationibus dubitandi fusè fuere cumulata Inutile enim testamentum est, si quis animo proposuerit, solenniter istud ordinare & requisita jure civile præscripta omnia non rite attenderit; nec clausula codicillari sustineri ejusmodi ultima voluntas potest, dum eadem uti testator noluit: jam legum beneficiis nemo uti cogitur, sed si quis iis omissis legum subtilitatibus se subjicere malit, hætenus ejus voluntate staudum est per evidens argumentum §. 5. *in fin. §. de Hered. qual. & differ.* Aut, (quod alterum distinctionis membrum est) certum est, aliquem voluisse facere codicillos, id quod exinde potissimum apparet, si testator adjecerit codicillarem clausulam, & tunc si non valere potest institutio directo jure, deficiente quippe una vel altera solennitate, valet ea ex benigna interpretatione jure fideicommissi etiam ab intestato *L. 29. §. 1. in fin. de Testam.* Seu dicta clausula jus institutionis trahit ad causam fideicommissi, ita ut heres qui succedit ab intestato, censeatur rogatus hereditatem per fideicommissum restituere heredi scripto *Habn ad Wesenb. tit. de Jur. Codicill. n. 5. Malcomf. in Not. ad eund. d. l. Bachov. ad Tr. vol. 2. Disp. 10. tit. 7. Lit. B.* unde altera dubitandi ratio etiam eliditur; siquidem fideicommissa ab intestato etiam recte relinquuntur §. 10. *§. de Fideicom. hered. l. 1. §. sciendum 6. de Legat. 3. l. 8. §. 1. de Jur. Codicill.* adeoque quamvis ab intestato etiam succedatur illa tamen nihilominus præstanda sunt. Nec aliquis inde testatus simul decessisse censebitur, quoniam fideicommissa intestati causam non tollunt *cit. text. Bachov. & Vinn. ad cit. §. 10. §.*

C 2 Thef. XIX.

Thes. XIX. Notabilia quæ se ad manum dant ex hoc textu partim ex verbis §. nost. finalis desumi partim ex mente ejusdem accersi poterunt. Dum vero ab initio §. statim ingenue confitetur testator Lucius Titius, scripsisse testamentum hocce suum sine ullo Jurisperito, haud obscure eo ipso indigitat, magnam veterum circa testamenta condenda fuisse religiosem adeo ut in consulto jurisperito vix quisquam testamentum ordinare præsumerent. Quare & Sveronius in Nerone cap. 32. studiosos juris (intelligit JCos, quippe qui & hoc ipso nomine in L. 1. de Offic. Asses. & L. Divus 4. de extraord. cognit. saluantur) apud Romanos scribere & dictare testamenta solitos fuisse, memorat. Conf. Cicero lib. 2. de Orat. & Gothofred. in Not. ad h. text. Nicolaus Reusn. Tract. de Testam. part. 3. c. 1. n. 4. Quæ consuetudo nec hodie in desuetudinem abiit, dum testatores præprimis qui corpore adhuc valido de ultima voluntate cogitant, sapius Advocatos vel alios jurisperitos in consilium adhibere oppidò deprehendimus conf. Carpz. pr. 2. C. 10. D. 4. n. 3. Quamvis vero de testamento erigendo consulere in medium valeant JCTi, imo id ore proferre modo præfens testator affirmet, hanc esse ultimam suam voluntatem Carpz. p. 3. C. 3. D. 27. tamen id eò extendendum non est, ac si instrumentum publicum vel testamentum desuper æque ac Notarii publ. conficere queant, quoniam Notarii iidem non sunt, quorum tamen partes in instrumento necessario desiderantur L. Orphanotrophos 32. C. de Episc. & Cler. R. 7. colon. de anno 1512. uti recte contra Berlich. statuit & defendit Carpz. lib. 6. Resp. 18. n. 10. seqq.

Thes. XX. Porro ex textu desluit & hæc observantio, quod semper eò laborandum sit ut ultima voluntas subsistat. Expediit enim publicè, ut suprema hominum judicia exitum habeant L. 5. Testam. quemadm. aper. unde & Prætor ultimas tuetur defunctorum voluntates L. 1. si quis om. caus. testam. ab intestat. vel alio mod. poss. heredit. Toti siquidem generi humano nihil potest esse aut jucundius aut utilius, quam ut voluntas regnet in bonis à testatore relictis, etiam extincto corpore, nec majus est solatium fati, quam voluntas ultra fatum juxta  
Lipf.

*Epif. in Prefat. ad Lett. de cruce.* Non multum abhinc ablu-  
dunt quæ Constantinus Imperator in *L. 1. C. de SS. Eccles. gra-*  
*phicè hoc modo tradit.* Nihil est quod magis hominibus debetur,  
quam ut *suprema voluntatis*, (postquam jam aliud velle non pos-  
sunt) liber sit stylus & licitum quod iterum non redit arbitrium.  
Huic brocardico accedit alterum adhuc in *textu*, clausulam  
scilicet *codicillarem* facere ut subsistat hominis sani voluntas  
quamvis minus legitime h. e. non juxta solennitates legibus  
præscriptas fuerit facta *Carpz. lib. 6. Respon. 113. n. 5.* Idem enim  
operatur *codicillaris clausula*, ac si testator venientes ab *inte-*  
*stato* rogasset, ut hereditatem scriptis heredibus restituerent  
uti supra fusius deduximus *conf. Carpz. p. 2. Decis. 155. n. 1. &*  
*cit. lib. 6. Resp. 7. n. 5. 6. Richter p. 1. Decis. 63.*

*Thef. XXI.* Porro ex nostri *textu* consequitur quod clau-  
sula *codicillaris* exprimi debeat *per testatorem jung. L. ult. vers.*  
*illud C. de Jur. Codicill. L. 1. de Codicill.* Non ergo eadem clau-  
sula subintelligetur, nisi verbis expressis apponatur, quoniam  
nunquam credendus est *codicillos* fecisse qui testari voluit, si  
id diserte non addiderit *cit. text. Conf. Nicol. Reusner. Tract.*  
*de codicill. cap. 23. n. 8. 9. Richter part. 1. Decis. 63. num. 11. Carpz.*  
*lib. 6. Respo. 7. num. 17. seqq. & part. 2. Decis. 155. num. 7. seqq.*  
ubi & limitationes adjiciunt, quarum præcipuæ sunt, si quis  
inter *liberos & ad pias causas* fuerit testatus. At enim vero si  
Notarius *citra jussu testatoris* expressum clausulam *codicil-*  
*larem* testamento annexerit, eandem nihilominus suum *for-*  
*tiri effectum*, tenet *Carpz. cit. lib. 6. Resp. 7. n. 20. seqq.* eò quod  
generalis quidam *jussu testatoris* adesse censetur & quod  
scripta per *Notarium* intelligantur scripta de voluntate ejus,  
qui istum rogavit. Quod eo lubentius concessero tunc, quan-  
do Notarius proprio quidem motu ejusmodi clausulas appo-  
suerit, insimul tamen ipsas testatori explicuerit. *Conf. Besold.*  
*in Thef. Pract. voc. codicillaris clausula n. 41.* Nihil ergo opera-  
buntur ejusmodi clausulæ si Notarius easdem ipse non intelli-  
gat, indeq; cautelam inducunt Doctores, quod quis possit cura-  
re, ut interrogetur Notarius de istarum clausularum effectibus,  
si enim eosdem nesciat, nec quicquam ipsa testamento prode-  
runt.

runt. *Conf. Habn. tit. de Jur. Codicill. n. 5.* Tandem ex hoc textu notare habemus quod clausula codicillaris non solum operetur circa legata sed etiam circa institutiones per hunc §. nost. ibi *Deinde heredes instituit. &c.* adeo ut faciat eos de volvi in fideicommissarios: quia venientes ab intestato tenebuntur restituere scriptis hereditatem *Paul. de Castro ad h. text. conf. Richter. part. 1. Decif. 63.*

Thef. XXII. Restat ultima curricula nostri pars, qua contraria discuti solent: Et verò obverti textui nostro oppido poterat quod Testator Lucius Titius non voluerit uti clausula codicillari, sed potius intenderit subsistere debere ultimam suam voluntatem jure testamenti: dum disertè in h. §. nost. præfatus est. *Lucius Titius hoc meum testamentum scripsi sine ullo jurisperito &c.* Unde ipsius intentio perspicua esse videbatur, quod scil. voluerit condere testamentum non vero inanti codicillorum jure. Dum igitur voluit valere testamentum eo jure quo non potuit, nec eo jure quo valere alias poterat, subsistere posse videbatur per *L. Multum 6. inf. C. si quis alt. l. sibi sub alter nom. vel alien. pecun. em. conf. Paul. de Castro ad h. §. nost. Wissenb. ad cit. L. 6. C.* Verum eximie ita committitur fallacia compositionis & divisionis, dum scil. ex parte priori textus nostri infertur & quæ deinceps sequuntur, non simul pro ut par erat, considerantur. Debebant enim probe ponderari verba §. nost. *Et si minus aliquid legitime minusve perite fecero pro jure legitimo haberi debet hominis sani voluntas.* Nec quicquam obstat vox testamenti à testatore hic usurpata, quia actus non judicatur à nuda denominatione sed rei forma & effectu *Richter part. 1. Decif. 64. num. ult.* Et quamvis codicillaris clausula vulgaris non reperitur in nostro textu offert se tamen ibidem æquipollens quæ eundem post se trahit effectum. Bene hanc in rem commentatur *Carpzovius part. 2. Dec. 155. n. 78.* his verbis: *nam ex præsumptionibus & conjecturis rationabilibus salutare hanc colligi clausulam, sana suadet ratio, veluti si dixerit testator, velle se, testamentum haberi pro justo ac legitimo; vel omni meliori modo, forma & causâ, quæ de jure commissimè valere potest: vel jure cujuslibet ultima voluntatis, Bartol. in L. ver-*

*bis*



*bis civilibus 7. ff. de Vulgar. & pupill. substit.* Nec enim inter formulas hæc magna est differentia, sed æquipollent invicem, omnesq; vim & efficaciam clausulæ codicillaris includunt, *Harim. Pistor. part. 4. quæst. 9. n. 19. Nicol. Reufner. dist. cap. 23. n. 4. & 9. Obverti prætereasoleat §. nostro l. 15. §. 1. de Legat. 1.* verum quoniam ista lex cum aliis, quæ textui nostro obstare videbantur supra etiam in rationibus dubitandi excussa est, ea in præsens huc repetere nihil attinet, quin potius hic finimus & dicimus.

## SOLI DEO GLORIAM!



### *Pereximie ac Politissime* BECKERE,

Amice multis nominibus colende.

**L**Audio conatum Tuum, quod Nobilissimorum Fratrum tuorum vestigia secutus eruditionis tuæ documentum edere in publicum ingrederis. Postquam enim hætenus Juris studio strenuè invigilaveras, id potissimum restabat, ut ostenderes omnibus, labores tuos non fuisse supervacaneos. Nec enim magna diu latere possunt, nec animi vis ignei se diu continere. Illa prorumpunt illico: hic copiam quidem evagandi expectat, sed eam nactus eo nobilius se patefacit omnibus. Inde verò gaudium mihi & exoptata gratulandi occasio. Gestio enim impense quod memoriam amicitiae Svarissimæ, quæ cum Nobili Fratrum Tuorum pari potissimum mihi olim intercescit, in Te, tam felicissimo æmulo fraternarum virtutum recolere, mihi detur. Tum vero & gratulor Tibi specimen hæcce insigne, & ut in Dei gloriam, Patriæ emolumentum Tuorum gaudium & decus proprium desinat, ex animo opto voceq;!

*Dabam ex meo Museo  
die 1. Novembr. 1677.*

PRÆSES.

**S**o muß sein steter Fleiß / Gehrter Freund /  
sich zeigen  
Und thut sich durch die Schrift den weisen Häub-  
tern kund /  
So sucht der muntre Geist nun Wolken auff zu stei-  
und zeugt von seinem Thun der Weißheit voller  
Mundt.  
Recht so wer sich nicht scheut für Schweiß und vor be-  
mühen  
Und samlet so wie er der Weißheit Schätze ein  
Den läßt Astræa legt auff eignem Schoße blühen  
Daß umb den Scheitel glänzt der schönste Eh-  
renschein.

Mit diesem wenigen wolte den Herrn  
Respondenten, als seinem werth Ge-  
schättem Freunde seine Schuldigkeit  
abstatten deselben verbundener

J. E. Gleichmann,









X2615923

V317







798

1677  
14  
100

D. D. B. 17  
DISSERTATIONEM JURIDICAM  
AD

L. penult. 88 §. 17. Pand. de Legat. & fideic. II.

De  
**CLAUSULA CO-  
DICILLARI,**

Consentiente Magnifico Jctorum  
Ordine  
**PRÆSIDE**

*VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO  
atq. CONSULTISSIMO*

**DN. GODOFREDO STRAUSSIO,**

JURISCONSULTO & PROF. PUBL. CELEBERRIMO, CURIE  
ELECTORAL. SCABINATUS ET INCLYTÆ FACULT. JURIDICÆ  
ASSESSORE GRAVISSIMO, NEC NON SERENISS. FRINCH. VIDUÆ  
ANHALTINÆ CONSILIARIO SPLENDIDISSIMO, p. l. DE.  
CANO SPECTABIL.

*DN. Patrono & Praeceptore suo aeternum devenerando*

**CHRISTIANUS BECKER** /

*defendit  
Stolp.*

**IN AGROATERIO JCTORUM**

Ad D. X. Novembr. M DC LXXVII.



**WITTEBERGÆ,**

*Literis JOHANNIS WILCKII.*

32

